



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. XII. Saluum me fac Dom. &c. Carm. gen. 9.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Et lucido astrorum in folio sedens,  
 Humana per terras acutis  
 Facta oculis speculatur omnes.  
 Non iustus illum, non latet impius  
 Cuncta intuentem, sed studio ad nefas  
 Pronos maligno iustus orbis  
 Ex animo moderator odit.  
 Super scelestos retia depluet:  
 Ignes remisto sulphure flammeos  
 Ad impios eliminandos  
 Fulmineæ rapiunt procellæ.  
 Iustosq; iustus iustitiæ parens  
 Amore sancto amplectitur unice,  
 Et fraudis ignaram ante uultus  
 Assidue uidet æquitatem.

PSAL. XII. *Saluum me fac Dom. &c.*  
*Carm. gen. 9.*

**A**ffer opem, seruator opem fer. pulsa recessit  
 Intemerata fides:  
 Nuda fides, hominum fugit commercia: uana  
 Cum socio loquitur  
 Quisq; suo, blanda exercēs mendacia lingua,  
 Corde scelus meditans.  
 Ora Deus fraudum dulci medicata ueneno  
 Conterat, & penitus  
 Grandiloquam ex ima linguā radice reuellat:  
 Quique pudore carent,  
 Dicere nec metuunt, Falsa ad periuria linguas  
 Fortiter intrepidi  
 Assuescamus, & os age confirmemus ad omne

B

Flagitium. neq3 enim  
 Oris fræna mei, linguæ uere pagula quenquam  
 Me nisi habere puto.  
 At Dominus planctus miserorū, & dura feren-  
 Aure trahens gemitus, (tum  
 Surgam, ait, atq3 inopē, tuta ut respiret in ar-  
 Insidijsq3 procul, (ce,  
 Securum statuā. Hæc Dominus. quod ab ore fi  
 Cunq3 fluit Domini, (deli  
 Auro purius est, auro quod fusile fecit  
 Septima flamma coquens:  
 Dum fax in fumos exploratore camino  
 Crassa abit & cineres.  
 Polliciti memor ergo, malæ mala toxica lin-  
 Sancte parens inhibe: (guæ  
 Pestifera de gente hominū nos optime custos  
 Assere perpetuò.  
 Nam latè impietas grassatur libera, passim  
 Omnia plena malis,  
 Quum penes iniustus est, & iussa malorum  
 Sunt metuenda bonis.

PSAL. XIII. *Vsquequo Domine obli-  
 uisc. etc. Carm. gen. 10.*

**Q**uouſque rector unice,  
 Me deſtitutum negliges?  
 An ſempiterna me obrutum  
 Obliuione deferes?  
 Quouſque uultum amabilem  
 Iratus abſcondes mihi?  
 Quouſque curæ turbidæ

Mentis